



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et
Principis Monasteriensis Decas**

Alpen, Johann von

Coesfeldiae, 1694

20. Concurrentia Bernadorum in hisce negotiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

1654.

164 CHRISTOPH. BERNARDUS

Ita in proximo congressu, tam odiosa *Leodienſum & Neapolitanorum* rebellium exempla, eorumque ſupplicia *Monasterienſibus*, uti apparebat, non obſcurè applicata, quorum tamen cauſas (quæ ſola Dei gratia eſſet) remotiſſimas à ſe conſtaret. Inde ſuorum meritorum & continuæ erga Principes devotionis longam panegyrim exorſi, ſub *Ferdinando* Electore *Coloniënſi* felicis recordationis *Epifcopo Monasterienſi*, ita ſe ſemper citra jactantiam geſſiſſe, ut *Serenitas* ſua omnimodam ſatiſfactionem frequenter celebrârit. Nec ſperare ſe nunc, ex quo *Ceſſitudo* ſua *Epifcopatui* præſſe cæpit, ab officio devotionis uſque ad eò degenerâſſe, ut hanc *Neapolis* vel *Leodij* rebellantium applicationem mereantur. Reſponſum ad hæc breviter. *Principi de Monasterienſum*, ac præcipuè *Magiſtratûs*, *honorumque civium jurejurando ſibi obligatorum integritate*, longè *aliam mentem eſſe ac fiduciam*; nec iſtorum unquam exemplorum mentionem facturos ſe fuiſſe, ſi non eorum ipſi priùs meminifſent. Ita ſeptimanarum aliquot diſceptatio terminata fuit. *Conſiliarij* verò decretoriam *Magiſtratûs* declarationem, unà cum actis, ſublîmi Principis judicio ſubmiſère.

20.

Concur-
rentia

Inter hæc notatum à curioſis, & rerum

1654.

Bernardum in
his negotiis.

rum inania considerantibus, pleròsque horum congressuum actores, rarà concurrentià cognomines fuisse *Bernardos*. Ipsum Principem, qui *Mallingerotium* attineri deposcebat, *Christophorum Bernardum*; eundem, qui deposcebatur, *Mallingerotium Bernardum*; Civitatis Syndicum ac Secretarium, *Vierdenbaldium & Hollandium*, utrumque etiam *Bernardum*. Ac Principis Consiliarium & Oratorem *Bernardum Wiedenbruckium*; Quem ex ore Concilij perorantem & rebellionis maculam civibus impigisse malevoli vulgabant, & corbes Anabaptisticos è D. Lamberti turre suspensos Senatoribus contemptim præmonstrasse, eo veluti supplicio dignis. Quæ res quoniam cum Magistratûs, urbisque despectu conjuncta erat (quanquam falsa, confictaque) facilè compluribus credita est, ab iisque in reliquum vulgus cum maximo *Wiedenbruckij* odio propagata.

At vero *Mallingerotius* gnarus eorum, quæ à Senatu permilla erant, domi suæ haud ultrà securus, apud civem *Staalium* (qui proximè Curiam in foro habitabat) exindè noctu diversabatur. Et quamvis desperatâ Principis gratiâ vix videret locum retrahendi aleam quam iecerat; excitabant tamen subindè nutantem animum populi studia, nonnunquam hortatus familiarium,

21.
Mallingerotius
jubetur
restitui.

&